



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt V. Quid Lutherus egerit post literas & theses ad Septemuirum  
Moguntinum missas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1517.

dis Indulgentiis iniuncta, cum sint opera pietatis, vtrumque simul emolumentum conferre, cum à rectæ mentis radice gignuntur.

Affirmat, responderi vix posse, cur, si potest Pontifex impertiri defunctis inexhausta Redemptoris merita, Purgatorium vniuersum vno verbo non exhauriat. Obiectum enimverò tam validum, quàm quicumque non hebes agnoscat. Quali verò hoc ipso, quòd Deus instituit Purgatorium, non satis liqueat, nolle Deum illud vacuum; & perinde ac si Romanus Pontifex prædicaretur à Catholicis tamquam dominus, non tamquam administrator diuini ærarij, adeoque in largiendis Indulgentiis vti posset liberalitate extra omnem causam rationi consentaneam. Simile id foret ac percontari: Si Princeps pœnas merentibus indulgere potest, cur custodias vincit, & triremes compeditis non exhauriat.

Quiritatur, si ad æris vnus campani sonitum promulgantur Indulgentiæ, centum profectò pulsanda essent, cum recitatur Euangelium, quippe citra omnem comparationem sanctius. At verò cui non est exploratum, actionum solemnitatem non tam esse dimittendam dignitate rei quæ sit, quàm raritate? Quidquid enim frequentius est, maximè solemne esse nequit sine tædio & incommodo intolerabili. Quis est regnantium, qui sæpè incedens per urbem, tantum sibi concursus pompæque postulet, quantum fieri solet, cum alij minores magistratus procedunt in publicum celebrioribus quibusdam diebus? Ex hoc Lutheri præscripto omnes quidem Principes meritò essent obiurgandi, quòd maiori solemnitate, quàm prædicetur Euangelium per dies singulos in quouis templo, leges humanæ in regni conuentibus promulgentur.

## CAPVT V.

*Quid Lutherus egerit post literas & theses ad Septemvium Moguntinum missas.*

**H**As Conclusiones proposuit ipso Sanctorum omnium perui-  
gilio in templo magnifico, ipsorum nomini dicato in mo-  
dum propugnaculi in arce Wirtembergenli ab eodem Saxonie Se-  
ptemviro. Et quòd pluribus in locis vno tempore sulcitaretur incen-  
dium, ac difficilius comprimi posset, eas imprimendas, & per om-  
nem Germaniam dispergendas curauit. Sed gnarus, disputationes  
scholasticas, vt quæ intellectu difficiles, non frequentari à multi-  
tudine (quæ tamen potissimum maximeque necessarium ciendis  
turbis instrumentum est) haud certè defuit ad populares artes con-  
fugere, hoc est ad conciones. Hinc vnam habuit solemnem in tem-  
plo

plo memorato super eodem argumento; eandemque simul habuit per vniuersam Germaniam typorum facundiã. 1517.

- 2 Proponebat Lutherus recensitas sententias, vti mos est noua molientibus, per simulatam moderationem à vero metu profectam. Aiebat, idcirco se nihil affirmatè pronuntiare, sed solum dubitantis modo; atque omnino Ecclesiæ iudicio se submittere. Et sanè credibile est, id quod ipse scribit in præfatione primi voluminis, eum non concepsisse initio spiritus sic elatos, cuiusmodi postea ab euentus prosperitate in illo sunt excitati, atque eos turbines casu commotos. Ex quo palàm est, eum cæli interpretem non fuisse, vt Propheta ac Diuinus Redemptor, qui nos veram legem edocuerit. Hi etenim ab eo Spiritu confirmati à quo mittebantur, electo populo prædixerunt per promissa, quæ id temporis pro eorum statu humanæ ratiocinationi temeraria videbantur, ingentia illa incrementa, quæ postmodum euenere. Neque vniquam trepidè verbum locuti: quin Christus asseueranter dixit, Cælum ac terram transitura, numquam verò suorum verborum tenorem.
- 3 Præterea Lutherus, vbi prius in thesibus quos diximus Concionatores incensabat, quòd acrius compellerent homines ad diluendam per Indulgentias pœnam finiti temporis, quàm ad charitatem augendam per opera præmium merentia; paulò post, esse meritum negauit, illiusque boni operis emolumentum; imò affirmavit, in omni opere lethalem culpam inesse.
- 4 De Pontifice dislerebat ille quidem alicubi cum quadam submissione, quòd eum sopiret, ac sibi gratiam conciliaret ostentatione modestiæ: alibi verò cum despectu, quòd illius venerationem minueret, à quo se condemnatum iri præuidebat.

## C A P V T V I.

*Oppositiones contra Lutheri doctrinam, prius habitæ à priuatis, mox à Casare & Pontifice.*

- 1 **A**duersus Lutheri Conclusiones exposuit alias Tetzelius Francfurti, vbi Quæsitorem Fidei agebat, quibus probi Theologi partes expleuit, cum breuissimè & intra thesium limites Lutheri fallacias detexerit, & Romanum Pontificem atque Concionatores aduersâ opinione purgauerit, qualem ipsis constabant vafre astutaque verborum formulæ, quibus Lutherana scripta texebantur. Verumtamen hæ theses, quòd obiectabantur ab æmulo, quodammodò antiperistalim imitata sunt, ad obfirmandam in sententia Lutheri